LVCERNA SPLENDENS

ſuper candelabrum ſanctum.

Eccl. 26.

SIVE

LAVDATIO FVNEBRIS,

Admodum Reuerendi
D. SEBASTIANI NVCERINI
Sacræ Th: D. Canonici Sendomirien. & Scarmirien. Ordinarij Eccleſiæ Cathedr: Crac. Theologi, vita functi.

A

M. Jacobo Vitellio Tyliciano Profeſſore, Eccleſiæ Sanctæ Annæ Canonico, in Funere propoſita.

CRACOVIAE,
Ex Officina Franciſci Cæſarij. Anno D. 1635.

Quod nauigantibus tranquillus portus eſt; hoc ijs qui huius vitæ procellis agitantur migratio ad alteram vitam exiſtit.

D. Nazianzenus orat. in funere Patris.

LVCERNA SPLENDENS.

SVpremum exequimur officium, viro opere & ſermone, & vitæ innocentia, apud Deum & homines meritiſsimo, SEBASTIANO NVCERINO. Vtinam diutiùs luceſceret Eccleſię Dei hæc lucerna Iſrael; quæ populo, in hac vitæ caligine, viam cæleſtem, virtutibus ſuis tanquam luminibus clariſsimè præiuit: non ita dolendam domus Dei accepiſſet orbitatem. Sed poſtquam clariſsimè effulſit, & omnium oculos mirificè recreauit, non extincta eſt vlla mortalitatis violentia: verùm in ſanctiùs trāſlata candelabrum, plenâ annorum & meritorum maturitate. Etenim mors, quæ mortales hebetauit oculos, clariſsimam eius in Eccleſia principe, & vniuerſa Diœceſi, meritorum lucem, non potuit obſcurare. Viuet hic integerrimus conditione ſacerdos, officio Dei ad populum Nuncius, viuet inquam in omnium iucunda recordatione, eruditorum admiratione, viuet in bonis proborum deſiderijs: qui exemplar vitæ ſimile, vim dicendi æqualem, laboris parem aſsiduitatem, in eo quod geſsit munere, diutiſsimè requirent. Mihi verò tanta temporis anguſtia circumcluſo, dolendum: ad eius virtutes ornatiſsimas, parem animi & ingenij facultatem

afferre nōn poſſe: præſertim cùm ſe ipſe in memoria & ſenſu omnium, non fucatis ſed veris & viuis expreſsiſſet coloribus. Quid enim tenui dictione eius augeam opinionem, qui vel nomine ipſo, etiam apud eos, qui nunquam hominē viderāt, magna fuit eruditionis & probitatis exiſtimatione? ſi quidem quò ipſius nomen, eodē & fama, nomini gloriosè quæſita, propagata. Quam quidem illi, non mobilis ſæculi fauor, non eblandita officia, ſed viginti quatuor annorum, perpetuus in Cathedrali Cracouiēſi Eccleſia, in graui illo & politiſsimo hominum præſtantium cætu, concionandi labor, meritiſſimè conciliauit. Quid ergo, infra quàm ieiunus & infirmus ex ſchola & vmbra Rhetor, plauſibilem & Diuinū in luce Eccleſiæ, & ſupra quàm optimum Oratorem, Canonem dicentium, etiam opinione ſanctimoniæ cōmendatum aggrediar exornare? Sed tamen inhumanū foret, & inciuile taciturnitatis genus: ſi eius in Eccleſiam & Clerum promerita maxima, ſupremo carerent honore: per quem eſt perfectum, vt nè iuſtus viris bonis honos, defuiſſet vnquam. Quocirca ita in commemorandis eius verſabor virtutibus; vt ſi non omnia, tàm arcto temporis curriculo comprehendi poterunt: vt nihil tamen ex eis quę dicentur, vana aſſentatione ſimulatum videatur. Et cum plerumq; fit, vt res quæ nihil in ſe pretij & admirationis habeant: vel commendātis ingenio, aut verborum artificio, dignitatem & pretium, & meliorem quærant opinionem: ego tenui & ſimplici orationis

tionis cultu, facta ipsius præstantissima proponam. Cùm & idem ipse, non tam verbosa simulatione sapientiæ, quàm laboriosa pietatis Christianæ institutione magis commendari vellet. Dicam itaque quàm splendidè in sacerdotio, quàm ardenter in Concionatoris diuturno officio hæc lucerna fulsisset.

Ad graue & arduum sacerdotij munus, quò eum à teneris Diuina comparabat vocatio, vt cōmodiùs aspiraret: eruditione & literis, viam sibi communiuit. Paruâ ætate ad Academiam Crac: missus, viro probo & docto *Martino Szlachcinski*, quem ex tali discipulo cognoscat quisque, adhæsit. Fuit hic ea felicitate Professor, vt quem in curam suam suscepisset, hominem non putares, qui non è vestigiò in alium, vitâ, moribus, disciplinâ commutaretur. Huic itaque se poliendum permisit, quasi iam vel in ipsius Præceptoris delectu, cùm optimum & probatissimum quæreret, diuinaret: se non sibi duntaxat & Musis, vt ille Aspendius Cytharædus canere debere: sed Ecclesiæ & populo, legem Dei, vbi res & tempus postularint: narrare oportere. Exinde ad nutū omnem Præceptoris sui fuit, eius non suo vixit arbitrio: non ad horam esse, imperata non subitò exequi, ingenij & industriæ frequenter indicta exercitamenta non præstare, promptè & suauiter; nefas arbitratus. Expressit nimirum affectum in Præceptorem optimi illius discipuli, qui ad studium, ad Magistrum, primum se venisse solere, vltimum semper exijsse testatus est. Admiratus

frequenter optimus Præceptor induſtriam iuuenis, quæ ætatem præcurreret: complexus ingenium ad omnia flexile: laudauit non rarò mentem ad grauiora intelligenda non hebetem. Plurimùm fortunatus, quòd ſine nauſea & faſtidio docendi, iuuenem eſſet nactus ſagacẽ. Diſsimilis eius miſeri, qui cùm alicuius craſſo & Bæotico capiti, frequenter iteraret, inſculperet: neque tamen quicquam eius operâ imprimi potuit; laborem ad extremum peroſus infructuoſum, inquit.

Implere te nequeo capientem nihil,
Sapientia dicta infundens in fatuum virum.

Tàm laudato Præceptore NVCERINVS noſter, eum breui in literis fecit fructum, vt Encyclicas artes, quibus ad humanitatem iuuentus informari ſolet, peregregiè didiciſſet. Eius dictio vtraque, ſeu libera ſiue pedeſtris, vbertatem & acumen, cum ornatu & grauitate temperabat. Nihil molle, nihil ineptè fluens, nihil extra laxum: ſed omnia ſiue Oratorijs, ſiue Poëtarum legibus, ſcitè nexa & deuincta. Non dico de celeritate ipſius in reconditioribus Philoſophiæ ſtudijs: cui nihil ita retruſum & abditum obſcuritate eſſet; quod non inueſtigaret, comprehenderet, atq; alijs etiam faceret planum. Et quia ad perfectionem artium humanarum, & hominis politioris elegantiam, Muſicam pertinere exiſtimauit: hoc genus ſtudij ita perfectè tenuit: vt eius etiam laboris & operæ, Hymni Eccleſiaſtici habentur, ad numerum & modulationem Muſicam, artificiosè & iucundè

cundè

cundè elaborati. Tàm præcocem itaq; eius doctrinæ in ætate adhuc immatura famam, publico Academiæ ornari oportuit testimonio; quod quidem Artistica & Philosophica consecutus est laurea. Cuius apud nos educationis, ita ille gratus fuit; vt cùm autoritate magni in Repub: viri induceretur, vt curaret quiddam, quod ille non futurum ex re Academiæ arbitraretur: respondit modestè, vt homini insigni, prudenter vt in causa graui. Se propè mancipem esse loco isti, & teneri obligatione iusiurandi dati Academiæ; hîc se institutum, ab his principijs ad hominum existimationem emanasse: nolle sibi id accidere, quod alicui qui præter fidem egerat, accidisset: cùm in fronte eius, quò apertius ab omnibus nosceretur, scalpro impressum esset: *Hic ingratus est.* Refundat tibi, tenacissime fidei & amicitiæ cultor, refundat inquam tibi nunc largiter, cælestis eam gratiam benignitas: quòd non erubuisti nomen & paupertatem nostram, in magnis illis fluctibus, coram Principibus, libero animo, & fideli profiteri. Cùm itaq; tempus appeteret, vt vitam suam & conditionem ordinaret: Deo se & sacris addixit altaribus; sanctis initiatus ordinibus. Cùm nullam quæreret sortem in sæculo: in partem hæreditatis Domini concessit. Ad sacerdotium adijt, nō vt seipsū quæreret: verùm vt in spiritu, Domino ministraret. TARNouiæ primùm loco tunc florente, & culto satis, Concionatoris munere functus, sancti huius tyrocinia exercuit officij. Sed quid dico tyrocinia? qui di-

centem

centem audierant, veteranum non ætate, ſed dicendi facundia & grauitate, exiſtimarunt. Vnde magnus homini à populo illo & vicinia, quæ ad eum confluerct audiendum honos, & veneratio magna. Sed nobiliori & conſpectiori loco, lucernam iſtam comparabat Deus, quam in ſanctiùs transferret Eccleſiæ candelabrum. Inſpirauit illuſtri & pientiſsimæ Heroinæ CONSTANTIÆ MYSZKOWSKA, olim Capitaneæ Dobczycen. quæ germana fuiſſet Magni olim Herois Marchionis Gonzagæ Marſchalci Regni. cuius, præſens Illuſtris & Magnificus D. FRANCISCVS DEMBIENSKI, laudatiſsimus ex filia nepos, mærens ob amiſſum Domus ſuæ beneficiarium gratiſsimum, & amicum probatiſsimum; inſpirauit, inquã, huic religioſiſsimæ Heroinæ, vt homini per quem ſpiritus Dei, ad cor eius loqueretur, temporaneis inſeruiret fortunis. Hæc vel vna fuit ex beatis illis felicis ſæculi fæminis, quæ Saluatori abundè, & viris Apoſtolicis de facultatibus ſuis miniſtrarent. Itaque cùm eſſet lauta ſatis & abundante fortuna, nec magno abeſſet abinde interuallo, vbi ille in ſeruitio Dei eſset, & frequenter eloquia Dei ſuæ felicitatis præſagia, ex ore eius exciperet: cogitare cæpit, hominem iſtũ, potiore dignum eſſe honore & loco. Vt multa in pauca conferam, eum ſtatim honeſtis ornare præſidijs: iuuare peculio, ſufficere laneum & lineum veſtitum, ſupellectilem librariam prouidere: matris propè indulgentiſsimæ proſequi cæpit affectu. Neque illud tantùm, ſed quò foret Deo & Eccleſiæ ornatior, in

Italiam

Italiam emisit; sumptum liberalem fecit. Iuit ille, quò eum per beneficam & munificentissimam, nunquam satis memorandæ Heroinæ manum, Dei spiritus egit. Vixit Romæ, auctiora sibi ingenij & eruditionis conquirebat instrumenta: & cùm satis quæsitum arbitraretur, factus Theologiæ Doctor. Ac primùm tanto in se illustris Heroinæ beneficio, ita respondit; cùm eam in ijs quæ essent spiritus ita instrueret, vt dignam cælo, dignam DEO, dignam diuina vocatione, & cælesti sponso efficeret. Quæ vbi cælesti afflatu inspirata, posthabitis mundi ludibrijs, totam se DEO, & sanctimoniæ claustrali addiceret: annisque aliquot in religione sanctè exactis, ab hominibus exijsset: eius ille vocationem, profectus in spiritu, vitam in religione cælestem luculenter descripsit. Verùm vt eò reuertat vnde longiùs defluxit oratio: à primo suo ex Italia reditu, designatus ab Illustrissimo Episcopo BERNARDO MACIEIOWSKI, Seminarij Cracouiensis Præfectus. Quod graue munus, ex quo pendeat Ecclesiæ dignitas, & Diœcesis totius emolumentum in se suscipere, magnæ virtutis: sed laudabiliter perficere, Diuinæ cuiusdam felicitatis fuit. Interea omnes cogitationes & studia eò contulit, vt gregi Dominico, quem sibi Deus in hæreditatem suam eo in loco secreuisset, & aleret: exemplo, integritate, innocentia præluceret. Quorum ille tàm in literis, quàm in spiritu progressiones, tantidem, quanti vitam suam, aut fidem Deo da-

tam fecit. Nihil dico qua esset ad honestatem eorum tuendam cautione: quâ in docendo sollicitudine & attentione: quàm accurata & continuâ, vt vnumquemq; de integro interpolaret, vigilantia; cùm fidelissimè & grauissimè moneret, quid eos sequi, vnde abhorrere, vt inoffenso vitæ cursu, ætatem suam decurrant, oporteret. Ex quo consecutum est, vt insignem ex tali institutione, Diœcesis tota perciperet fructum. Nam quicunq; ex ea profecti disciplina; quasi exempla quædam sacerdotalis sanctitatis, inter homines versabantur. Etenim in operibus & sermonibus eius integerrimis, quasi in libro originali, iam ante legerant: quomodo eos cùm Deo ambulare, & cum hominibus viuere oporteret. Quid autem, sui in sacerdotali functione officij, quam non immemor? cùm se sacerdotem, & quidem Domini sacerdotem recordaretur: cuius non terra Domini, sed ipse Dominus pars & hæreditas esset. Quàm frequens illi & meditata ad sacrosanctum Sacrificium accessio: cùm non sacramentaliter tantùm diuinissimum tractaret sacramentum: sed deuotionis etiam & attentionis incredibili affectu. Quàm pia & religiosa rerum cælestium contemplatio: quàm humilis sui & rerum terrenarum propter Deum abdicatio. Quanta verò in victu moderatione & parsimonia fuit? cùm etiam vino, quo interdum reficeret vires: aut nunquam, aut exiguo admodũ vteretur, & omni quod inebriare posset abstineret: alios etiam grauiter abindè absterreret. Cùm sciret sacerdo-

tis cul-

tis culpam, populi ruinam esse. Idcircò in eum circumspectus fuit viuendo modum, cùm itentidem secum illud Apostoli reuocaret, quod Christus *eripuit nos ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti.* Insidebat nimirum in eius mente Christi spiritus, ita vt diuinus hic Sacerdos, sacrarium atque dedicatum Christi templum posit existimari.

Sed ecce extulit ad conspectiorem locum DEVS hanc lucernam, quæ populum, cælestis sapientiæ, & sanctorum splendoribus collustraret; Ordinarium Cathedralis Ecclesiæ Cracouiensis Theologum esse iussit. Hîc ille secum cogitare, quid laboris in se susciperet: in cuius famulatu, quâ vocatione & munere esset: quàm lubrico & præcipiti in loco staret; nè, si alijs prædicaret, nec prior ea in se formaret, quorum in alijs induceret lineamenta; nè, si errata populi, ficta assentatione palparet; ipse sibi formidandum, vitæ & salutis accerseret discrimen. Hæc considerans ita commouebatur animo, ita modestiâ sua grauissimum illud officium refugiebat; & reflexisset, nisi eius qui vocauit, & idoneũ muneri decenter peragendo, facturus erat, fiduciâ niteretur. Cui muneri commodiùs & sanctiùs obeundo, binas antecessiones doctrinæ & vitæ adhibuit: vt doceret, & luceret. Tanquam cælum amænissimum, quod doctrinæ spiritualis imbribus affatim plueret, & sanctæ vitæ radijs splendesceret. Tanquam Angelus omnipotentis DEI, qui postquam hominibus Saluatorem

mundo editum nunciaret, eius lux subitò circumfulsit omnes. Offerebat populo ad audiendum confertissimo, non siliquas, aut secundarium cibum, humana duntaxat tractans: sed secreta Dei, & mysteria profundiora aperiens, selectos panes, pabulum diuinorum verborum animabus ministrabat. Dederat illi qui mittebat eum DEVS, velut suo Prophetæ frontem adamantinam & siliceam: vt esset suarum patiens & tolerans iniuriarum, ad Diuinas autem nimium quàm excandescens. Libertate dicendi in publico, cùm acriter pro lege Dei staret, vbi res & necessitas postulabat, priuatim modestus & taciturnus, vtebatur; nè si dissimulasset, suam calamitatem aliquando deploraret. *Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum.* Eam ob causam fuit vt fortissimus athleta Christi, cuius virtus ex vulneribus crescit, & magnanimitas minarum terroribus augetur. Sermo eius non tanquã cymbalum aut crotalũ, quod extremas tãtùm raderet auriculas: sed tanquã gladius bis acutus, animam vsque diuidens excipiebatur. Periclem ita vehementem in dicendo fuisse memorant, vt etiam aculeos in animis audientium defigeret. Esto verum vt lubet, quod popularis illius sæculi ad iactantiam confinxit simulatio. Nos quod oculis vsurpauimus, quod auribus hausimus, cùm frequens populi corona, vbi faces dicendi adhibuisset: vbi animorum latebras peragraret dicendo: eius dictis inflammata, aut cælestium bonorum cupiditate arderet: aut

timore

timore periculi præſentis, in gemitus & lachrymas ſolueretur; quantam vim eius orationis, quos ſtimulos, quos aculeos fuiſſe credemus? Audiebat populus non tanquam ab homine, ſed tanquam ab Angelo, dicam potiùs tanquam à Deo verbum eius: quod ille, non voce ſolùm, ſed operibus etiam ipſis annunciaret. Atque illud in docendo accuratè prouidebat, vt paruitati aliorum, aliorum perfectioni ſe attemperaret: alijs lac, ſolidiorem alijs depromens cibum. Quo affectu, quo labore, quo ſtudio, quis dicet? Cùm iam non mediocriter langueret, & tempus quadrageſimalis abſtinentiæ adeſſet, vbi quater in hebdomadam concio facienda fuit; homo corpuſculo non leuiter languens, ſed ſpiritu Dei nimium quàm feruens, ei ſe operi laboriosè accingebat. Dicebatur illi, conſuleret ſibi: abſtineret tantiſper ab eo munere: ſcire omnes quâ in debilitate valetudinis eſſet. Ille verò nequaquam ſibi perſuadere paſſus: *Mállе vitam ſibi non ſupereſſe, quàm officium in ſe deſiderari*, reſpondit; & tota Quadrageſima, cum morbo & labore hic ſeruus Dei luctabatur. Ad hoc autem ſollicitum concionandi munus, qui non labores alij accedebant? Toti Diœceſi, ne dicam Eccleſiæ in Regno toti, cùm neceſsitas requireret, & modeſta eius humilitas pateretur: obſequium: librorum cenſura omnium: procuratio ſpiritualis ſanctimonialium virginum: operoſa ex Italico in popularem ſermonem traductio Vitæ S. Tereſiæ: Cleri examina: informationes; vt meritò di-

cere potuiſſet, ſibi nunquam ferias, aut liberum etiam reſpirandi tempus à tot oneribus contingere poſſe. Nunc itaque anima hæc ſancta, ad ſalutem mundo annunciandam à Deo miſſa, poſtquam munere ſuo, & legatione pro Chriſto laudabiliter defuncta eſſet; ad eundem iteratò, tanquam columba ad arcam Noe, feliciter & pacificè reuertit. Sed antequam emigraret, ea quæ labore graui comparaſſet, in opera pietatis diſpertijt. Cùm ita vltimam voluntatis ſuæ ordiretur teſtationem- *Aduena ego ſum, & peregrinus, ſicut & omnes patres mei. Non abeſt autem à probro, peregrinum ex hoſpitio, in quod diuerterat, rebus vſui ſuo traditis incompoſitis abire. Potiùs decet eâ fide, quâ acceperat redditis: cum gratiarum actione, ſalutato hoſpite, itineri ſe ſe dare, &c.* Eius itaque hoſpitij peregrini, & profectionis ſuæ memor, talem in abeundo fecit ordinationem. RR. PP. Diſcalceatis inſtructiſsimam optimis libris Bibliothecam, cum armarijs addixit, & inſcripſit, vbi & locum ſepulturæ ipſe ſibi delegit. Argentum factum, quodcunque eſt, tametſi modicum, Religioſis Sanctæ Tereſiæ Sanctimonialibus, tam Cracouiæ quàm Lublini partitus. Eccleſiæ Sendomirienſi & Scarmirienſi ſupellectilem ſacram ad altaria legauit. Eccleſiæ S. Annæ Crac. Concionatorem annuo cenſu ampliore prouidit: quinque ſtudentibus in Academia, vicenos groſſos in perſonam hebdomadatim aſsignauit, & cenſum emit: nec HOSPITALIVM SANCTI SPIRITVS & ſancti Rochi oblitus. Inſuper

Inſuper, locus & homo ad quem aliquomodo pertineret non fuit; cui non optimè in extremo diſceſſu vellet. Sed hæc ille, & multo alia plura opera benefica, quâ in vita modeſtia, & ſine iactatione fuit, arctiſsimè voluit ſileri.

Beata & DEO placens anima, in magnâ ſum ſpe, & quemadmodum confido veriſsimâ; quòd tuos pro DEO & ſalute hominum labores, cæleſtis reſpexit clementia! Et qui tibi canoram prædicationis tubam, & lampadem, bonorum operum ardentem, inter homines victuro & viuenti obtulerat: idem ille, poſtquam corporis tui diſſoluta laguncula, ad victoriam non defuit ſupremam. Aut ſi fortè (vt hominis, etiam quantumlibet iuſti, vita non ſine trepidatione eſt) aliquid offenſum & titubatum; hic Clerus & populus, qui tuo mæret & languet abitu, pro te ſupplices ad DEVM tendit manus. Cùm verò nobis omnibus in tuis codicillis ſupremum illud VALETE, Valete, Valete, inclamares ter: & tu extremum VALE, & nos eo ordine, (quanquam non æquis meritorum paſsibus) quo natura, & Dei voluntas ferret, expecta. Nunc tibi ſupremo precamur ſermone, vt ille te æternùm ampliſsimis ornet præmijs, pro cuius nomine & gloria apud homines propaganda, omnes ætatis induſtriæque tuæ neruos, ad vltimum vſque vitæ diem, laudabiliter contendiſti.

DIXI.

Epilogū addidi. Certa igit et elabora, ut cursū tuū legitime [illegible] cias: ut libere dicere possis cū Aplo. Bonū [illegible] cursū cōsummavi fidē servavi:

~~vel A~~ mi det mihi dñs in illa die, iust9 iudex:
Nō solū aūt mihi sed et iis q diligūt aduētū
eig. ipsi sit honor et gloria, in saecula
saeculorū Amen: